



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Basilius Magnus. 1. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

nescis, ibi vulnus est, ubi emplastrum est.

*Sit tentaris à Diabolo, si ab omnibus hominibus oppri-
meris, si conficeris agritudine, si doloribus fatigaris, si
desperationis agitaris spiritu, nomen IESV edicito. Ju-
stinian.serm.de Circumcis.*

S. BASILIUS MAGNUS. 1. Januarii.

MAgnum esse BASILIVM ad ardentis columnæ facem D. Ephrem vidit. Magnum deinde ostendit *Christus ipse*, dum sacris operanti adesse spectabilis, cum sancto Duodecimvirorum cælestium senatu voluit. Sed & talem Hebræus non nemo credidit, cui profano adhuc, sacræ tamen mensæ accumbenti, cùm minimo in orbe magnum *Virginis Filium* è manu suâ propinasset, manus & ipse dedit. Magnum demum senserunt è maximis tyrannis duo. Horum alter Julianus (is qui turpe sibi apostatæ nomen peperit) orante contra se BASILIO, sententiam ferente Deiparâ *Virgine*, exequente D. Mercurio, orbi pœnas perfidiæ, quas meruit, dedit. Non felicior alter Valens, exilium Divo nostro nequicquam semel iterumque inten-
tavit. Nam sententiam impiam ferre jam cogitan-
ti, ipsum justius judice suo tribunal reclamavit,
sellâ diffractâ; & subscribere laboranti, penna atra-
mentum, quod habuit, tertium negavit: ipsa ma-
nus facere officiam noluit; certè ut non posset,
exaruit; conjunx filiusque ægri ad cogitatum sce-
lus nolentes etiam ingemuerunt. Et filius quidem
à magnâ BASILII manu convaluit. Cui cum Va-
lens pessimos superinduxisset mēdicos Arianos,
filius continuò malè mortuus est. At bene noster,
sub annū Christi CCC.LXXVIII. vixit BASILIVS;
vel hoc uno magnus magnique faciendus Parthe-
niis

niis Sodalibus, quòd virgo vixit. Ex Surio.

*Va tradentibus Christum ad crucifigendum; sed va-
cum maligna conscientia sub Sacramento sumentibus
illum. S. Remig. super Matth.*

S. O D I L O A B B A S.

1.Januarii.

Puer ODILo in D. VIRGINIS perreptavit clau-
dus, exivit sanus; & cùm ire jam quò vellet,
posset, pulchrè pedibus, quos cælum donavit,
usus, è mundo abiit, & Religiosam domum iniit.
Subinde Præfetus Ascererio Cluniacensi, osten-
dit, quàm facile imitari Christi nūractula foret illi,
qui vitam veller. Aquas quippe eunti sibi in so-
lum, aliis etiam in vinum vertit, pīscibusque non
multis bene multam pavit multitudinem. Inter
primas curas habuit, piorum Manibus opitulari,
quos flammæ piacularēs haberent. Id adeò fassus
ipse est orci tortor, quem Siculæ quispiam eremi
incola non semel querentem audiit atque indi-
gnantem innumeros à pœnis suis ODILONIS ab-
solvi precibus. Eos inter Benedictum numerant
VIII. Pont. Max. qui opem & ipse viri imploravit,
& verò sensit etiam, ac gratus palam laudavit. At-
que hoc stimulos subdidit ODILONI, ut sui quot-
annis diem agerent piarum animarum memoria
insignem; quod institutum id temporis uni illi
familiæ familiare totus hodie Christianus orbis
amplectitur. ODILONI nostro morienti præsto
ipse Christus fuit, Stygiasque larvas cum suis ter-
riculamentis longè jussit facessere. Nimirū quam
opem mortuis vivi ferimus; morituri & ipsi sen-
timus. Ex Surio.

*Disce humilitatem, quam Christus verbo docuit &
exemplum*